

Resp. Dist. ant. Quoad sensum, *conced.* quoad consensum, *nego ant.* loquitur itaque Apostolus de motibus concupiscentiae indeliberatis, quos necessario quidem experimur; et sic sub eis captivamur, nec facimus quod volumus, sed eis non necessario obsequimur, et sic non necessario peccamus.

Objicies 2. D. August. Enchiridii, cap. 30. ait: *Liberio arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum.* Et in Epist. ad Vitalem, dicit: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus;* ergo.

Resp. Dist. conseq. Per peccatum primi parentis amissum est liberum arbitrium, quoad plenam cum immortalitate justitiam, quam habuit in illo statu felicitatis, et quae consistebat in dono integritatis, in immunitate a morte, a concupiscentia inordinata, et ab ignorantia, *conc.* quoad substantiam, *nego.* se ipsum explicat D. August. lib. 1. ad Bonifacium, cap. 2. dicens: *Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quae in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam, propter quod natura humana divina indiget gratia; scilicet, ut libertas aliquod boni supernaturalis elicere possit.*

CAPUT III.

De moralitate actuum humanorum?

Quaeres. **Q**uid sit actus moralis?

Resp. Est, *actus humanus conformis vel difformis regulis morum, vel ab eis permissus.* Unde morale, praeter liberum, dicit ordinem et relationem ad regulas morum.

Agemus de speciebus, principiis, affectionibus, et primaria regula moralitatis.

QUAESTIO I.

De speciebus moralitatis.

Quaeres 1. **Q**uot et quae sint species moralitatis?

Resp. Sunt tres, nimirum, *indifferentia*, quam lex permittit; *bonitas*, quam imperat; et *malitia*, quam prohibet.

Quaeres 2. *Quotuplici modo considerari possit actus humanus!*

Resp. Considerari potest *in specie*, nimirum, quatenus dicit ordinem ad solum objectum, ad quod ex se tendit. Vel *in individuo*, nimirum quatenus dicit ordinem ad objectum, circumstantias, et finem operantis.

Quaeres 3. *Utrum dentur actus humani indifferentes in specie?*

Resp. affirm. Nam varia sunt objecta, quae ex se plane sunt indifferentia ad bonitatem vel malitiam, ut sunt: *ambulare, levare festucam, &c.* Ergo actus humani, spectati in ordine ad objecta illa sola, sunt indifferentes.

Quaeres 4. *Utrum dentur actus indifferentes in individuo?*

Resp. Negat. Nam actus in individuo spectatus includit finem operantis; atqui nullus actus spectatus secundum finem, quem sibi proponit operans, est indifferens: nam talis finis est bonum honestum vel jucundum, neque enim potest amari malum quatenus malum; si sit bonum honestum, actus est bonus; si sit bonum jucundum, actus est malus: neque enim licitum est homini in suis actibus deliberatis operari propter solam delectationem, ut definiit Innoc. XI. *Prop. 8.* et ideo tenetur referre actus suos deliberatos ad honestum.

Objicies 1. Actus, qui fiunt praecise ad suble-

vandam levem naturae indigentiam, ut ambulare, spue-
re, &c. nullam, neque ex objecto, neque ex fine,
contrahunt bonitatem vel malitiam; ergo.

Resp. Nego ant. Vel enim illi actus, qui sunt me-
dia, fiunt propter solam voluptatem, et tunc sunt ve-
nialiter mali, quia homo, utpote rationalis, operari
tenetur propter finem excellentiorem quam bruta: vel
fiunt ob sanitatis conservationem et rectam corporis
consistentiam, et tunc sunt moraliter boni, quia sunt
conformes naturae rationali, qua rationali.

Inst. Sunt aliquae operationes per se tantum or-
dinatae ad oblectandum, v. gr. visio pulchri, ad oble-
tandos oculos; olfactio odoris, ad oblectandas nares,
&c. Ergo saltem istae poterunt propter solam volu-
ptatem licite exerceri.

Resp. Nego ant. Nulla enim operatio ad solam de-
lectationem, ut ad finem ultimum, ordinatur; sed
ultra tendit ad finem ulteriorem, v. gr. olfactio odo-
ris ordinatur finaliter ad cerebrum confortandum; vi-
sio pulchri ad excitandos spiritus qui deserviunt ad
operationem humanam rite exercendam, &c.

Objicies 2. Nemo tenetur ad impossibile; atqui in
statu naturae corruptae impossibile est omnes actus
nostros deliberatos ad Deum referre tanquam ad finem
ultimum; ergo.

Resp. Dist. min. Impossibile est actus nostros ad
Deum referre actualiter, *conc.* virtualiter, *nego min.*
Neque enim opus est ut finem honestum actu inten-
damus in singulis actibus, sed sufficit ut illum in-
tendamus virtualiter, qualiter censetur intendere ut
plurimum qui ordinate et christiane vivit.

Quaeres 5. *Utrum actus externus augeat bonitatem,
aut malitiam actus interni efficacis?*

Resp. Non auget per se: nam voluntas efficax bene
vel male agendi pro facto apud Deum reputatur: *Quia
fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito*

propter me, benedicam tibi, ait Deus Abrahamo ma-
ctare filium parato, licet sacrificium opere non com-
pleverit. Unde *Matth. 5.* dicitur. *Qui viderit mulierem
ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in
corde suo.* Quae verba expendens D. Bernardus, *Epist.
77.* ait: *Quid planius quod voluntas pro facto reputa-
tur, ubi factum excludit necessitas?*

Dixi: *Per se;* quia actus externus *per accidens* au-
get malitiam actus interni, nam experientia operis non
nunquam actum internum reddit intensiorem aut
diuturniorem: sic v. gr. voluptas actualis, quae per-
cipitur ex fornicatione, fornicationis affectum inten-
sionem efficere solet; ergo.

Objicies. Actus internus et externus mali diversis
prohibentur praeceptis: nempe *non moechaberis: non
concupisces.* Ergo diversa est utriusque malitia.

Resp. Nego conseq. Non enim ideo ponuntur diversa
praecepta, quod in externis actibus sit diversa malitia,
cum propter idem motivum prohibeantur: sed ideo po-
nuntur quia periculum erat ne homines carnales le-
gem observasse sibi viderentur, si a solis actibus ex-
ternis abstinerent, quamvis internis praeberent con-
sensum, sicut quidam et Judaeis asserebant, quos re-
darguit Christus dicens: *Audistis quia dictum est, non-
moechaberis: ego autem dico vobis: omnis qui viderit
mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est
eam in corde suo.*

QUAESTIO II.

De principiis moralitatis.

Quaeres 1. **Q**uid intelligitur per principium mo-
ralitatis?

Resp. Intelligitur id, unde actus humanus desumit
suam bonitatem aut malitiam.

Quaeres 2. *Udenam actus humanus suam desumat bonitatem aut malitiam?*

Resp. Ex objecto, fine, et circumstantiis.

Quaeres 3. *Ex quonam objecto moralitas desumitur?*

Resp. Ex objecto spectato secundum suum esse morale: non secundum suum esse physicum, v. gr. objectum, a quo adulterium suam desumit malitiam, non est foemina, praecise ut est foemina, cum ut sic possit esse objectum adulterii et actus conjugalis; sed est foemina prout cognoscitur contra prohibitionem rectae rationis. Objectum ergo secundum esse morale, est objectum prout ab agente attingitur modo rectae rationi consentaneo, vel dissentaneo.

Quaeres 4. *Quamnam moralitatem actus humanus desumat ab objecto?*

Resp. 1. Desumit moralitatem specificam: quia ratione objecti quaedam virtutes et vitia a se invicem specie differunt: sic ratione objecti virtutes Theologicae differunt specie a virtutibus moralibus: sic homicidium species differt ab adulterio, quia eorum objecta specie differunt.

Resp. 2. Desumit moralitatem primariam: quia actus humanus non potest concipi sine moralitate ab objecto sumpta, licet possit concipi sine aliis, v. gr. furtum in loco sacro perpetratum, licet possit concipi sine malitia sacrilegii, non potest tamen concipi sine malitia injustitiae; ergo, &c.

Quaeres 5. *Utrum moralitas actuum humanorum desumatur etiam a fine extrinseco, seu a fine operantis?*

Resp. affirm. Nam 1. facit actum ex indifferente bonum, vel malum: sic studium ad vanam gloriam est malum, et studium ad lucrum animarum est bonum, 2. Facit actum ex malo pejorem, v. gr. si quis fueretur ad moechandum. 3. Facit actum ex

bono malum, v. gr. si quis det eleemosynam ob vanam gloriam; ergo &c.

Quaeres 6. *Utrum moralitas, quae desumitur a fine extrinseco, sit specifica et essentialis?*

Resp. Si actus spectetur ut est imperatus a fine, ex cuius efficaci intentione procedit, desumit specificam moralitatem a fine, quia praecipue et essentialiter respicit finem operantis. . . . Si vero spectetur ut est elicitus a voluntate, tunc desumit moralitatem specificam ab objecto, quia praecipue et essentialiter respicit solum objectum. Sic actus eleemosynae ad satisfaciendum pro peccatis, si spectetur ut est elicitus a voluntate, suam specificam bonitatem desumit a misericordia; si spectetur ut est imperatus a poenitentia, suam specificam bonitatem desumit a virtute poenitentiae.

Quaeres 7. *Quid sit circumstantia actus humani?*

Resp. Definitur: *Accidens quoddam, moraliter afficiens actum humanum jam constitutum in suo esse, tam physico, quam morali.*

Dicitur: *Moraliter afficiens actum humanum: id est, conferens ipsi aliquid bonitatis vel malitiae accidentalis.*

Quaeres 8. *Utrum moralitas actuum humanorum desumatur etiam a circumstantiis?*

Resp. affirm. Quia subjacent regulis morum: vel enim ab eis praecipiantur, vel prohibentur; ergo, &c.

Quaeres 9. *Quotuplicis generis sint circumstantiae?*

Resp. Duplicis: alia enim est *mutans speciem*, quae actum humanum trahit in speciem diversam ab ea quam ab objecto suo immediato desumit; talis est circumstantia loci sacri in furto. . . . alia est *aggravans, vel minuens speciem*, quae scilicet minuit, vel auget bonitatem aut malitiam actus intra eandem speciem, v. g. incestus in 1. vel 4. gradu.

Quaeres 10. *Utrum circumstantiae conferant actui*

humano moralitatem specie diversam a moralitate, quae provenit ex objecto?

Resp. Hanc conferunt circumstantiae speciem mutantes, non vero eae quae speciem duntaxat aggravant: quia illae, non vero istae, important ordinem convenientiae, vel disconvenientiae ad rectam rationem, diversum ab eo quem importat objectum: non enim solum est disconveniens rectae rationi furari, sed etiam furari in loco sacro; ergo &c.

Quaeres 11. Quandonam circumstantia speciem mutat?

Resp. 1. Mutat speciem, quando efficit, ut actus opponatur alicui virtuti, cui alioquin non opponeretur, vel efficit ut ei sit conformis: quia tunc sunt plures conformitates aut difformitates ad rectam rationem.

2. Quando circumstantia efficit, ut actus diverso modo eidem virtuti sit conformis, aut difformis: quia ubi est diversus modus conformitatis vel oppositionis cum eadem virtute, tunc sane diversa est conformitas vel disconvenientia cum recta ratione.

Quaeres 12. Utrum circumstantiae debeant esse cognitae et volitae, ut ad peccatum imputentur?

Resp. Debent esse cognitae et volitae, saltem interpretative: hoc est, requiritur, ut agens illas cognoscere debuerit ac potuerit: ratio est, quia alias actus non esset voluntarius quoad circumstantiam incognitam.

Quaeres 13. Quot sint circumstantiae actuum humanorum?

Resp. Sunt septem versu sequenti contentae:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis, designat qualitatem et conditionem accidentalem personae operantis, v. gr. quod sit sacerdos, conjugatus, voto obstrictus, &c.

Quid, denotat qualitatem objecti, v. gr. an res furto ablata sit sacra, vel prophana, gravis, aut levis.

Ubi, denotat qualitatem loci, v. gr. an sit publicus, vel sacer.

Quibus auxiliis, denotat media et instrumenta, quibus operans usus est ad operandum, v. gr. si quis ope daemonis, expresse vel tacite invocati, aliquid consequi voluerit.

Cur, denotat finem extrinsecum operantis.

Quomodo, denotat modum accidentalem quo fit actio, v. gr. an ex malitia, aut ignorantia, aut infirmitate.

Quando, denotat durationem et qualitatem temporis accidentalem, v. gr. an in die festo quis inebriatus sit.

QUAESTIO III.

De affectionibus moralitatis.

Quaeres 1. Quid intelligitur per affectionem moralitatis?

Resp. Intelligitur ejus multiplicatio in eodem actu.

Quaeres 2. Utrum actus ex objecto malus, in finem bonum relatus, desinat esse malus?

Resp. Hunc actum esse simpliciter malum, juxta istud Theologiae effatum: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.* Ergo ubi medium malum est, actus est simpliciter malus: hinc peccat qui mentitur ad vitam innocentis conservandam, nam Rom. 3. *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.*

Quaeres 3. Utrum saltem intentio boni finis minuat malitiam actus ex objecto mali?

Resp. Minuit per se; quia qui malum operatur ex intentione boni finis, minorem habet affectum ad peccatum; ergo minus peccat.

Quaeres 4. Utrum unus idemque actus (v. gr. elemosyna ob vanam gloriam) possit esse bonus ex objecto bono, et malus ex fine malo?

Resp. negative. Ita declaratur Matth. 6. *Attendite ne justitiam vestram, id est, opera vestra bona, faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in coelis est.* Atqui si illa opera remanerent bona, non forent absque mercede; ergo, &c.

Quaeres 5. *Utrum circumstantia venialiter mala, quae in decursu operis boni, et in bonum finem directi irrepit, totam ejus bonitatem, auferat et meritum?*

Resp. negative. Nam illa circumstantia nullo modo influit in actum bonum, neque ut causa efficiens, neque ut causa finalis, sed eum tantummodo extrinsece comitatur; ergo &c.

QUAESTIO IV.

De prima moralitatis regula.

Quaeres 1. *Quaenam sit prima moralitatis regula?*

Resp. Pro prima moralitatis regula, alii assignant naturam rationalem, prout rationalis est, id est, prout est intellectiva et volitiva cum libertate; alii, lumen rationis ab aeterna ratione nobis coelitus derivatum ad discernendum justum ab injusto; alii, voluntatem divinam, et legem aeternam, quae est ratio Dei dirigens omnes creaturas in suum finem. Verum illa quaestio est pure speculativa, et ideo in ea discutenda non immorabimur, ut ad utiliora et practica progrediamur; ideo:

Quaeres 2. *Quotuplici modo possimus voluntatem nostram voluntati divinae conformare?*

Resp. Duplici, nempe, 1. *positive*, per actum expressum; 2. *negative*, per non repugnantiam, seu per approbationem.

Quaeres 3. *Quotuplex est volitum in Deo?*

Resp. Duplex, nempe, *materiale*, quod est objectum

quo Deus vult; et *formale*, quod est motivum quo Deus vult objectum materiale.

Quaeres 4. *Quomodo voluntatem nostram voluntati divinae teneamur conformare, tum in volito materiali, tum in volito formali?*

Resp. 1. Tenemur conformare *positive*, dum agitur de praecepto, quia tenemur adimplere praeceptum divinum, hocque propter motivum quo Deus dedit praeceptum.

Resp. 2. Tenemur *negative* tantum conformare voluntatem nostram voluntati divinae, dum agitur de consilio: sic non tenemur velle *positive*, seu amplecti virginitatem, quam Deus nobis tantum consulit; sed tenemur eam velle *negative*, id est, tenemur eam approbare, quia est bona; debemusque esse dispositi eam amplecti, si Deus vellet, et sub motivo quo Deus vellet.

Quaeres 5. *Utrum semper et in omnibus teneamur voluntatem nostram voluntati divinae negative conformare?*

Resp. 1. Tenemur in volito formali, quia motivum agendi in Deo est aequissimum, nempe manifestatio suae gloriae, justitiae, et aliorum attributorum.

Resp. 2. Non tenemur in volito materiali, quia plura vult Deus quae non vult nos velle, nisi saltem voluntate conditionata, nempe, si Deus voluerit, v. gr. Deus, ut causa prima et universalis, vult bella, pestes, mortem parentum, damnationem peccatorum, &c. quae tamen non vult nos velle, et quae sunt mala respective ad nos, ad quos non pertinet ordo universi, aut divinae justitiae manifestatio; ergo.